



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xxix. De Clericis non residentibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

si quis Ecclesiam sine sui reservatione Iuris collegiatam fieri patiatur. Eò amplius constat, si ædes sacræ incendio consumptæ fuerint, vel etiam terremoto, vel vitio suo corruerint, extinguere ius patronatus necesse est. Sed & si patronus ausu nefando Rectorem vel clericum ipsius Ecclesiæ per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausus fuerit, tã alias pœnas, quàm Iuris patronatus amissionem sustinere debet. Idem iuris est, si patronus efficiatur hæreticus: cum enim bona hæreticorum uniuersa sint confiscanda<sup>a</sup>, merito cum ista uniuersitate etiam Ius patronatus interibit.

<sup>b</sup> cap. uergetis. extra. de hæreticis.

## DE CLERICIS non residenti- bus,

### TITVLVS XXIX.

*Si conferatur beneficium non idoneo ad residendum, & prouisus priuatus est beneficio, & collator conferendi potestate. b. d.*

<sup>b</sup> cap. quia non nulli. §. cum igitur. extra. eod. tit.

**D**ebent<sup>b</sup> autem hi, quibus Ecclesiastica ministeria sunt committenda, tales deligi, qui & residere in Ecclesia, & curam demandati sibi officij per se ipsos valeant exercere: quod si aliter actum fuerit, & qui receptus fuerit, quod contra sacros canones acceperit, amittet: & qui dederit, largiendi potestate priuabitur.

*Qui sine causa non residet, post monitionem priuandus erit: & quæ sint iustæ causæ non residendi. b. d.*

Si tamen ab initio idonei ad residendum reputati, postea Ecclesias, vel præbendas sibi concessas, sine iusta & necessaria causa deserant, si moniti & congruo tempore expectati non redierint, eis priuari poterunt<sup>c</sup>. Iustæ non residendi causæ sunt: veluti, si quis aut Romano<sup>d</sup> Pontifici, aut proprio Episcopo obsequium exhibeat<sup>e</sup>. Item, si iura, & negotia Ecclesiæ<sup>f</sup> suæ fideliter prosequatur, aut si, ut studio rum causa abesse possit<sup>g</sup>, est alii cui specialiter indultum, & si quæ sunt aliæ similes.

*Ad memoriam iuuandam conducit repetitio. b. d.*

Hæc de præbendis, & dignitatibus, atque illarum prouisionibus dixisse nos sufficiat. Verum, quia in hoc tractatu diffusè immorati sumus, ut sequentia præcedentibus melius contexamus, quædam in memoriâ reducemus. Personarum ergo quidam laici sunt, quidam clerici. Rursus clericorum quidam sunt in sacerdotio constituti, quidam in sacris licet non in sacerdotio, quidam nec in sacris nec in sacerdotio. Eorum rursus, qui in sacerdotio constituti sunt, quidam sunt in celsiore gradu, ut Episcopi: quidam in inferiore, ut presbyteri. In sacris verò dicuntur constituti

Dia-

<sup>c</sup> cap. fin. extra. eod. tit. & cap. relatiu. & cap. ex parte. & seq. d. tit. <sup>d</sup> cap. cum dilectus. extra. eod. tit. <sup>e</sup> cap. de cetero. eodem tit. extra. <sup>f</sup> cap. ex parte. eodem tit. <sup>g</sup> cap. relatiu. d. tit.



Diaconi & subdiaconi. Qui vero nec in sacerdotio nec in sacris reperiuntur, ij sunt qui sunt in minoribus ordinibus constituti. Ceterum, quoniam adhuc quidam in Ecclesia sunt, qui non minus in laicatu, quam in clericatu constituti domino deseruiunt, ut sunt regulares ac monachi: restat, ut & de his pauca subiiciamus.

DE REGVLARIBUS, ac monachis,

TITVLVS XXX.

Regulariter ualeat argumentum à regulari ad monachum, & contra h. d.

Quoniam uero, siue de regularibus agendum sit, siue de monachis, eadem ferè iura seruantur, ne uerbosa fiat euagatio, dirigamus sermonem in personas monachorum: idem etiam intellecturi de regularibus cæteris. Nam si quid in ijs propriè seruetur, separatim ostendemus.

Ex triplici capite quis fit monachus, et impubes à patre traditus monasterio, post annum pubertatis potest redire ad seculum, si uelit. h. d.

Monachi sunt, aut ex paterna deuotione, aut ex propria professione, aut ex uoti emissionem. Ex paterna deuotione monachus quis efficitur, cum pater filios impuberes monasterio offert. Quo casu, si impuberes sacram tonsuram vel

uelamina susceperint, quinto decimo ætatis anno moneri debent & inquiri, utrum in ipso habitu permanere cupiant: si permansuros se professi fuerint, vel professionem à se prius factam ratam habuerint, ulterius poenitendi locum non habebunt: si uero ad secularem habitum reuerti maluerint, redeundi licentia concedenda erit, quia satis inutile est, ut coacta seruitia Domino præstentur. Qua etiam ratione constitutum est, ne quis inuitus ordinari debeat.

Si impubes præter parentum uoluntatem monasterium fuerit ingressus, possunt parentes intra annum reclamare: secus, si sit pubes. h. d.

Quod si impubes præter parentum uoluntatem tonsuram accepit monachalem, parentes id factum irritare ualent: sed si intra annum ad proprium Episcopum, uel alium competentem iudicem non reclamauerint, reuocare amplius non poterunt. Si uero in grandiori ætate adulescentes seruire Deo elegerint, non est potestas parentibus prohibendi.

Professio est duplex, tacita & expressa, et potest fieri etiam ante annum. h. d.

Propria professione monachus efficitur quis, aut expressè, aut tacite. Expressè, ut si quis post annum probationis habitum suscipiens monachalem, regulis monasterij obstringi se uelle profiteretur. Si tamen ante

cap. 2. extr. de regular.

¶ ean. monachum. 20. q. 1.

¶ ean. illud aut. 20. q. 1.